Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26978
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Exiit edictum a cesare augusto. s. Lucam. In illo t.
ut describeretur universus orbis. Hec descriptio prima
facta est a preside syrie cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur
singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Ioseph a galilea de
civitate nazareth. in iudeam civitatem dauid. quae vocatur beth
lehem. eo quod esset de domo et familia dauid. ut profiteretur cum
maria desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem cum essent
ibi. impleti sunt dies ut pareret. et peperit filium suum primogeni
tum. Et pannis eum involvit. et reclinavit eum in praesepio. quia non
erat eis locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem
vigilantes. et custodientes vigilias noctis super gregem
suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos. et claritas dei
circumfulsit illos. et timuerunt timore magno. Et dixit illis
angelus. Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium
magnum quod erit omni populo. quia natus est vobis salvator. qui est
christus dominus in civitate dauid. Et hoc vobis signum. Invenietis
infantem pannis involutum. et positum in praesepio. Et subito fac
ta est cum angelo multitudo militiae celestis. laudantium deum
et dicentium. Gloria in altissimis deo. et in terra pax hominibus
bonae voluntatis. In primo mane. V. Isaye. ph̃e.
Sic dicit dominus super me quod unxerit
me. ad annuntiandum mansuetis misit me. ut mederer
contritis corde. et predicare captivis indulgentiam. et clausis
aperionem. ut predicarem annum placabilem domino. et diem ultionis
deo nostro. ut consolarer omnes lugentes. ut ponerem fortitudi
nem lugentibus syon. et dare eis coronam pro cinere. oleum